

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
VERMIBUS INTESTINORUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit

GEORGIUS HARRIES,

CAMBRO-BRITANNUS,

Coll. Reg. Chirurg. Lond. Socius,

Necnon

Amer. Phys. Societ. Edin. Socius Extraord.

*Heu mihi, tot mortes homini, quot membra; malisque*

*Tot sumus infecti, mors ut medicina putetur.*

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

TYPIS GUL. CREECH,

M DCC XC.

DEATH SUO HONORATISSIMO

IN ALCORALIA

JOANNI HARRIS

DE HAVERTFORDWEST

DE HAVERTFORDWEST

IN PEMPORONIAE PRAEFECTURA

ARMIGERO

ILLIUS AMANTISSIMUS

ORATORIALE MORSUM

HANC DISPUTATIONEM

D. D. Cove

O. HARRIS

PATRI SUO HONORATISSIMO.

JOANNI HARRIES,

DE HAVERFORDWEST,

IN PEMBROCHIAE PRAEFECTURA,

ARMIGERO;

FILIUS AMANTISSIMUS,

ET

GRATIARUM MEMOR,

HANCCE DISPUTATIONEM,

D. D. C.QUE.

G. HARRIES.

DISSERTATIO MEDICA  
 PARTI PRIMO HONORATISSIMO  
 ANATOMIAE

JOANNI HARRIS

DE HAVERFORDWEST  
 TERMINUS INTESTINORUM

IN THEATRUCHE PRAEFECTURA


A RMICHO

CORPUS humanum, quod in...  
 est...  
 Hic...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...  
 est...

DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,

DE

*VERMIBUS INTESTINORUM.*



**C**ORPUS humanum, ob subtilissimam ejus structuram, variis obnoxium est morbis. Horum quidam omnibus vitae aetatibus infesti: aliis vero diversi status, et mutationes qui nunquam non fiunt a pueritia usque ad senectutem, alternatim favent. Licet eos in classes duas principes distribuere: eorum scilicet qui a statu hereditario pendent, quique in vitae decursu, a variis rebus fortuitis oriuntur. Prima classis quam altera, quoad numerum morborum, multo arctior; nec tamen hi morbi, etiam summa cura adhibita, facile evitantur:

A

caeteri

caeteri saepius definitas agnoscunt causas, ut diaetae, exercitii, caeterorumque adventitiorum vitia: unde non raro hos certo propellere penes nos est.

Inter varias morborum causas annumerandae sunt, vermes qui saepe in diversis corporis, cum humani tum caeterorum animalium, cavis adfunt. Plerumque in tubo alimentario inveniuntur, ubi interdum innocui paene ac vix percepti latent; alias vero, morbos, et quidem periculo plenos, excitant. Quod profecto tamdiu innotuit, ut a primis inde aevis medicorum attentionem, et merito, sibi vindicaverint.

In corpore humano varia vermium genera diversis temporibus observata sunt, et varias hujus partes occupantia. Audivimus vermes inventos esse in cerebro, hepate, pericardio, renibus, et caeteris; qui autem saepissime apparent, ad tubum alimentarium pertinent. Horum tria sunt genera: teretum, five lumbricorum rotundorum; taeniarum, five lumbricorum

bricorum latorum; et ascaridum. Quibus olim cucurbitini annumerabantur: hos tamen nunc medici fere omnes pro taeniarum disjunctis nodis habent, vel faltem pro diversa specie generis teniae.

*Teres*, vel lumbricus rotundus, est vermis laevis, rotundus, coloris pallidi. Corpus annulis vix oculis cernendis circumdatum, latitudine pennam aequat anserinam, longitudine incerta, raro vero ultra pollices duodecim longum. Os tribus labiis praeditum est, hirundinis instar. Formam externam, vermem communem terrestrem mirum quantum refert. Attamen ab hoc, peritius examinatus, multum differt; ut mirum sit adeo accuratum naturae observatorem ac fuit LINNAEUS, tam graviter hallucinatum esse: qui de hoc verme differens, "Lumbricum," ait, "intestinorum esse eandem speciem cum lumbrico terrestri vulgatissimo:" In quem errorem etiam SCOPOLI incidit. Lumbricus terrestris calido gaudet sanguine, quo caret humanus: quinetiam  
annuli

annuli priorem cingentes multo sunt magis conspicui. Lumbrici terrestris organa genitalia minus evidentia quoque sunt. Tubus longus convolutus, in terete valde conspicuus, quemque licet in ingentem longitudinem extendere, in terrestri verme cerni non potest: At hic rotunda quaedam et alba ostendit corpora circa cor, in anteriore corporis parte, quibus alter caret.

*Taenia*, vel lumbricus latus, pluribus constat juncturis, inter se libere communicantibus, ut experimentis patet MONROI celeberrimi, aliorumque. Hæ juncturae magnitudine discrepant: quorum quaevis os habet in latere. Peritius inspectus, figuram convexam exhibet: licet primo intuitu planus videatur, nec vittae frustulo abfimilis, unde et nomen derivatur. Hujus generis LINNAEUS quidem quatuor ponit species; quarum duae tantum ordinarie in corpore humano offenduntur. Species, annulorum distantia ab invicem, inter se differunt. Hic vermis saepe in immensam crescit magnitudinem.



tudinem. Doctor MONRO in suo musaeo talem viginti pedum servat: et BOERHAAVIUS se unum vidisse trecentos cubitos exequantem, et milibus articulationum viginti uno, additis sexcentis, instructum. Plerumque unicus reperitur, unde eum HIPPOCRATES, a quo saepius in pueris totum intestinorum tractum occupans visus erat, *solitarium vermem* nuncupat; postea vero experientia evicit non semper singulum esse. Harum juncturarum quaevis motus capax est: nec vero est abfimile, hunc vermem potestate frui partes suas regenerandi, tanquam polypi; licet haec opinio adhuc conjectura tantum fundetur.

*Ascarides* sunt vermes parvuli et tenues, sub extremitates in puncta abientes, et longitudinem pollicis circiter habentes. Hos nonnulli pro lumbricis habuerunt junioribus: quod tamen non ita esse, nunc satis constat. Multi per integros annos ascaridibus obnoxii nunquam lumbricos ostenderunt. Vermuli ascarides referentes in caseo interdum cernuntur.

tur. Magni quidem medici utrumque pro eodem habuerunt: Imprimis VAN DOEVEREN \*, qui in ventriculum et intestina ita eos induci putat. Quod a VAN SWIETEN † confirmari videtur, viri exemplum referente, qui intra paucos dies postquam caseum pinguiorem devoravit, nunquam non ascaridibus laboravit. Alii vero caseorum vermes et ascarides diversos credunt. Ascarides in crassis intestinis habitant, maxime in recto; taenia vero et teres in tenuioribus.

Duo sunt, quae multas disputationes moverunt circa vermium in corporibus animalium generationem.

1mo, Non certo constat eosdem externe inveniri.

2do, Reperiuntur in tot corporis partibus quo, qua ratione devenerint, non facile dictu est. A primis inde medicinae aevis saepe tentatum fuit vermium definire originem, et quomodo in corporis varia cava inducantur, explicare.

\* Dissertatio de vermibus intestinorum, p. 31.

† Commentary on Aph. 1359.

care. Talis autem rei est obscuritas, adeoque arctis limitibus continetur scientia nostra de animalium inferioribus ordinibus, ut nulla explicatio hæctenus ita hominibus satisfecerit, quae ab omnibus acciperetur. Antiquiorum medicorum principes generationem eorum putredini tribuerunt: nec mirum consideranti quam imperfectae essent illis temporibus, quibus florere, historia naturalis, anatome, totaque medicina. Vermes constanter a rebus putrescentibus oriri cernebant, quare quum horum originem nescirent, non est mirandum, eos ipsam putredinem pro genitore habuisse. Porro, iidem antiqui rationem, qua digerantur alimenta, non multum cognitam habuere. Unde hanc quoque a putredine in primis viis orta pendere putarunt: nec difficulter qua ratione vermes in tubo alimentorum generentur explicarunt. Hujus vero hypothefis fallacem structuram, Doctoris STEVENS, et SPALANZANI, de concoctione experimenta, quippe quae putredinem nil ad eam conferre probent;

bent; quin et experimenta REDI, quibus extra omnem dubitationis aleam positum est, ovorum depositionem necessario vermium aliorumque infectorum generationem in putridis anteire, clare ostenderunt. Comes celebris De BUFFON, vir ille bene notus in historiae naturalis annalibus, hypothefin protulit valde imaginariam de hac re, ut de generatione in univcrsum. Affumit particulas cibi nostri e materia constare organica et bruta: quarum primam ad elongationem et magnitudinis corporis incrementum conferre: at quum corpus jam ad summam molem appropinquans, potestatibus distendentibus plus resistat, tum quae redundant, particulas organicas in varia cava, ut virorum testes, foeminarum ovaria effundi: ibi harum sat magnam copiam deponi ad generis humani regenerationem: quod tamen fieri nisi utriusque sexus genitura, rite mixta, non posse. Ast, si hae organicae particulae nimis abundant in quovis corporis cavo, ita ut illis se jungendi facultas detur, tum animalia

nimalia parere alia : ut taeniam, ascarides, et qui in venis et finibus cerebri, in hepate, et caeteris inveniuntur, vermes. Haec summa est eorum quae de hac re BUFFON habet : sed ideo ea attuli, quod ejus inter recentiores unica est opinio quae generationem equivocam dictam suffulcit ; utque simul commonstrarem, quales sint virorum errores ingeniis praeditorum vivacioribus, et vi imaginationis fervidiorum. Doctrina molecularum organicarum nititur corporibus sese moventibus in semine masculino, a LEEUWENHOEKIO detectis : quorum tamen inutilitas ad phenomena impregnationis explicanda satis lucide constat experimentis Abbe SPALLANZANI.

His igitur rejectis, ea doctrina omnium verosimillima videtur, quae animalia in corpus induci forma ovorum, vel vermiculorum ponit. Sed ne haec omni vituperio caret, docemur hos vermes nusquam nisi intra corpora animalia reperiri : in foetibus eos visos esse, in quibus per cibos ingestos esse non potuerint ;

porro, si daretur eos et externe existere, tamen non credendum illos tam variae temperiei se adaptari, aut actioni organorum concoctionis resistere valere.

At si diligentiae scriptorum fides adhibenda sit, prima harum opinionum minus vera erit. Et fateor auctoritatem deficere, qua lumbrici rotundi externa existentia possit comprobari. Apud LINNAEUM legimus se latos vermes, et in fontibus, et in rebus vegetantibus offendisse\*: idem auctor asserit †, ascarides, et vermiculos qui tempore aestivo vulgo in paludibus et solis argillaceis observantur, esse eosdem. Haec si pro veris habenda, facile ratio concipi possit, qua nonnunquam in animalium ventriculos veniant: et recte judicandum esset, animal unde prodit teres, extra corpus habitare. Scientia nostra circa vermium classem non late patet; et procul dubio multa sunt genera, quae a nobis penitus ignorantur.

\* In System. Natur. Observ. in reg. animal.

† Amœnit. Acad. vol. ii. p. 74.

tur. Horum aliqui, communi terrestrium nomine noti, facultatem habent sese discissi, de-  
nuo producendi. Quo, quod indicium melius  
diversae structurae adhiberi potest? et tamen  
eodem nomine gaudent. Hinc nil mirum vide-  
ri debet, nos originem lumbrici minus cog-  
noscere, quum tota illa naturalis historiae pars  
tam parum nota sit. Sperandum tamen mul-  
tum temporis non esse elapsurum, quin nova  
lux rem tam obscuram illuminaverit.

In plerisque exemplis credendum est, in  
corpore humano cum taeniam tum teretem  
oriri ab ovis, in aliorum animalium corporibus  
depositis qualia pro cibo sumimus. Nam mul-  
ta animalia, cum ea, quae pro nutrimento u-  
surpantur a nobis, tum et alia hujus speciei,  
vermibus infestantur: ut canes, equi, vituli,  
et caeteri.—Eadem opinio re quadam non  
parvi momenti firmatur: nam partium mari-  
tumarum Norwegiae, Sueciae, Russiae incolae,  
taeniae valde sunt obnoxii: et hi ut pluri-  
mum piscibus, qui his vermibus scatent, vitam  
sustentant.

sustentant. Cibo, in quo latent multa ova, ingesto, credendum est, magnum horum numerum manducatione perire: at plurima illaesa manent. Cibus saepe parum perfecte teritur, aut omnino non; quidquod aquae, quas haurimus, innumera possunt ova secum ferre. Et sic quidem in ventriculum vehuntur. Ibi igitur possuntne se actioni subducere tam potentis menstrui ac est liquor gastricus, ut et motui ventriculi peristaltico, variisque temperiei mutationibus? Dominus J. HUNTER observavit, liquorem gastricum materiam viva structura gaudentem non afficere: neque ventriculi tunicae ab eo ante mortem roduntur: quae quum ita sint, nec vim habet ova, tenera quidem, sed viva structura praedita, afficiendi. Quinetiam, quamvis multa ova motibus ventriculi et intestinorum peristalticis destruantur, multa tamen supersunt; praesertim quum in plerisque vermium exemplis, horum productionem magna debilitas anteiverit, cujus ventriculus et intestina

sunt



sunt participia. Nam vermes vix apparent nisi in pueris, quorum functiones minus habent vigoris, aut in his qui morbis aliifve causis praecedentibus facti fuerint debiles. Elucet ex J. HUNTERI experimentis, quaedam ex animalibus minus perfectis mire se diversae temperiei posse accommodare. Nulla tamen eorum animalia, quae in experimentis adhibuit, tantam facultatem ostenderunt varios caloris gradus perferendi, qualem taenia habet. Van ROSESTEEN nos monet se cum septem aliis, harum unam vivam vidisse in pisce, (*bream* Anglice dicto) elixo, et in mensa apposito\*. Equidem de altero audivi e canis intestinis sumpto, qui aliquamdiu in aqua vixerit, ad gradum 212 scalæ Farenheitianæ calefacta; imo et plus vigoris ab ipso calore acquirere videbatur. Qui caloris gradus ita excedit quodcunque vel in morbis corporis humani maxime inflammatoriis accidit, ut silentium debeat iis imponere, qui asserunt, vermes

in

\* Sparrman's Diseases of Children, p. 227.

in temperie existere non posse, quae tot vicibus eam superet, in qua solent habitare.

Dicunt scriptores medici, vermes nonnunquam inveniri in parvulorum corporibus, qui nil praeter lac gustassent: quin imo in intestinis foetuum. De quo tamen alii, iique summi viri, et in praxi peritissimi dubitarunt. At fortasse pauca ejus generis exempla exstant. Id vero constat, vermes offendi in omnibus corporis partibus; et in ipso cerebro. In cavum abdominis nonnunquam penetrant per tunicas intestinorum: et visi sunt qui eadem ratione vesicam intravere. Nec tamen explicare possumus, quo modo apparere possint in aliis corporis partibus, ut cerebro, pulmone, pericardio, nisi credamus ova per sanguinis circuitum vehi, ibique deponi: quod firmat Ruysch\*; qui in arteria mesenterica equi magnum vermiculorum numerum reperit: a quibus ita distenta erat, ut primo intuitu pro sacco aneurismatico habuerit. Si igitur vermes forman-

tur

\* Obs. Anat. chirurg. No. iv.

tur ex ovis, circuitu sanguinis vectis donec in variis corporis cavis deponantur, inde possumus et id explicare, cur interdum etiam in foetu offenduntur\*. Probabile videretur ova nonnunquam in extremis arteriarum exhalantibus haerere, usquedum vermes formati sint; tum vero, diametris eorum paulatim auctis, ipsis vermibus permittitur ut cava intrent, in quae illa hiant. Inde igitur elucet fieri posse, ut ova exhalantibus in liquorem amnii veniant, unde una cum isto fluido in ventriculum foetus recipiantur: nil dubii enim est, quin iste liquor, sive in nutrimentum foetus constitutus sit, sive minus, quandoque deglutiri. Quod tamen raro fieri debet: nam varia impedimenta, quibuscum ovis tam teneris est conflictandum, fere in unoquoque exemplo, structuram eorum delebunt. Et revera hujus exempla tam pauca sunt, ut nuper dubitatum fuerit an unquam in foetibus existerent. Si autem unquam inveniuntur, haud absimile mihi videtur, ea ratione jam exposita fuisse inducta.

## CAUSAE

\* Edinburgh Medical Essays, vol. 5th, p. 289.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

STATUS corporis debilis, ex quacunque causa ortus, generationi vermium favet. Nonnunquam cernuntur in iis qui perfecta salute gaudere, imo et robusti esse, videntur; attamen et hic credendum est debilitatem topicam adesse. Saepe partium irritabilitas apparet ubi nulla systematis affectio fuerit: et quam arctus fit irritabilitatem inter et debilitatem nexus, bene notum est. Ventris obstipatio in consuetudinem abiens gradum quandam torporis in intestinis creare potest, per sympathiam cum ventriculo communicati, quo nihil plus ova ut maturescant, facit. Saepissime offenduntur vermes in pueris, aut viris foeminaeque debilibus, praesertim qui cibo vescuntur parum nutrimenti continente, aut difficili concoctu, aut rebus fere tantum vegetabilibus. Quare pauperum liberi illis imprimis obnoxii: forsitan quoque, qui rus incolunt plus quam qui

in

in urbibus habitant : illi enim cibo e frugibus sumpto magis utuntur, maxime ingenti copia fructuum crudorum, ut grossularum, ribesiorum, &c. Porro, humiditas eorum generationi favet : unde intelligitur cur vermes tam saepe eos infestant, qui terras infimo loco sitas aut incolunt aut ibi nascuntur. In his regionibus vermes interdum morbos epidemicos comitantur\*.

## S Y M P T O M A T A.

S Y M P T O M A T A quae ab auctoribus dicuntur vermium praesentiam arguere, valde sunt numerosa ; eorumque hoc illudve omnes fere morbos comitatur, quotquot humanum corpus infestant. Quod sine dubio vermibus cum aliis morbis frequenter unitis debetur ; unde symptomata ita inter se miscentur, ut non facile ab invicem separentur : et omni aevo me-

C

dicis

\* Sir J. Pringle's Diseases of the Army,

dicis mos fuit si quando vermes offenderentur, ut totum morbum his tribuerint : licet saepe hi minimam attentionem omnium mereantur. Equidem minime distinguere possum inter ea symptomata quae ad vermes unice pertinent, et quae alios comitantur morbos : quare fat habebo, si ex aliis auctoribus longam symptomatum seriem exscripserim, quae tribuunt irritationi a vermibus.

Abdomen tumet, durum est et tensum, cum gravibus diversarum partium doloribus, praesertim circa umbilicum. Alvus nunc laxa, nunc adstricta est ; et sedes saepe constant sanguine, aut muco cum sanguine misto. Facies pallet ;isque pallor aut constans est, aut alternat cum subito rubore et calore ; neque raro in una gena macula accurate circumscripta apparet. Oculi splendorem amittunt ; pupillae dilatantur, et palpebrae coeruleum induunt aut subviridem colorem. Appetitus cibi multum variat, nunc valde deficiens, nunc avidus, simul adsunt nausea et vomitus, cum

gravibus

gravibus ventriculi doloribus, anima foetida, eructata acida, cardialgia, et vehemens fitis : quamvis in nonnullis, at rarioribus exemplis, fluxus salivae multum augeatur. Nasus praeter solitum pallet, et ita prurit ut vix perferri possit : materiam puri similem effundens ; simul narium alae et labium superius valde tument. Respiratio multum afficitur ; tussis molesta, et plerumque ficca, inter symptomata vermium usitatissima numeratur. Simul urgent gravis cephalalgia, vertigo, et tinnitus aurium, excitationes subitae, cum dentium stridore inter quietem, cordis palpitationes et singultus, cum pulsu abnormi. In infantibus epilepsia frequenter comitatur : audivimusque catalepsiam choream quidquod tetanum ab eadem causa profluxisse. Aeger miserrimus, dolore nunquam cessante confectus, et pervigilio exhaustus, porro ob nutrimentum solitum deficientem, in febrem hectici generis incidit.

## DIAGNOSIS.

Ex innumeris symptomatibus quae ab auctoribus describuntur, tanquam vermes designantia, ne unum quidem jure diagnosticum putari meretur, nisi vermium per anum dejectio.

Tale quid igitur valde desideratur, ad praxin nostram dirigendam; et magna laus Doctori HOME debetur, qui id invenire conatus est.

In hujus clinicis experimentis sic loquitur \* :

“ A certain diagnostic symptom of worms has

“ hitherto been a desideratum in practical

“ medicine. Such a one I discovered about

“ sixteen years ago, which had been mention-

“ ed by no other writer, viz. an aedematous

“ swelling of the alae narium, upper lip, and

“ other contiguous parts of the cheeks. The

“ apertures of the nostrils are much diminish-

“ ed, and at least are not half their natural

“ size. This diagnostic is certain, as I have

“ trusted

\* Page 191.



“ trusted to it chiefly since that time, and it  
“ has faithfully served me.” Valde ta-  
men dolendum quod aliorum medicorum ex-  
perientia eandem hujus symptomatis laudem  
non vindicet. Alias enim multo minus impe-  
diti, remedia nostra dare possemus, indicio certo  
freti quo praxis nostra dirigeretur. Attamen  
est ut dico: Non adest semper una cum ver-  
mibus, et quidam medici scrophulam potius  
quam vermes ab eo indicari putant. Quod  
tamen a Doctore HOME negatur, et oriri pu-  
tatur a symptomatis utriusque morbi saepe  
inter se junctis.

Omnia autem morborum hydrocephalus  
quoad symptomata proxime accedit ad ver-  
mes. Res mira est morbos tam diversos cum  
sepe sua tum natura, habere symptomata adeo  
similia. Tamen non est quod de ea dubite-  
mus: quia auctoritatibus nititur Doctoris  
HOME, WHITE, et LIEUTAUD, qui rem secti-  
onibus certam reddiderunt. Hydrocephalum  
comitantur ventris et articulorum dolores,  
stridor

fridor dentium, et nasus faepissime scalptus. Morbus fortasse hicce, initio, dolore circum et collum et humeros, qui symptoma primum videtur esse; lucis intolerantia; capitis dolore diutius manente, et currente ab temporum uno ad alterum, vice capitis totum occupante, dignoscatur. Profectiora tantum hujus morbi stadia, distinguuntur pulsu tardo et inequali, qui postea rursus frequens fit, pupilla late aperta, aliisque cerebri oppressi signis.

#### RATIO SYMPTOMATUM.

Non facile est hæc omnia explicare: nam quaedam valde obscura sunt: licet aliorum ratio sine difficultate reddatur. Tumor et durities abdominis obstipatione pendere videntur et magnorum vermium præsentia. Pallor faciæ oritur a vasis sanguiferis collapsis, et inopia sanguinis rubri. Cibi appetitus immensus naturæ monitis debetur: nam cibo ingesto

a vermibus ante confumpto, quam forma chyli in vafa abforbentia abeat, brevi monemur ut fuppetiae dentur. Ventriculi vitia a morbofo illius organi ejufque fluidorum ftatu pendent: porro ab irritatione vermium. Qua de cauffa, cardia poft mortem fanguinea obfervata fuit\*. Tuffis fit per fympathiam inteflina inter et pulmones. Febris oriri videtur ex debilitate: alios quoque morbos cum magna debilitate conjunctos comitatur, licet neque ulcus nec inflammatio adfit; ut in diabete. Affectiones fpafmodicae, ut epilepfia et caetera, tunc invadunt, fi ftimulus praeter folitum in fyftema irritabile agat: Variolas et dentitionem aequae ac vermes comitantur.

### P R O G N O S I S.

In vermium exemplis, prognofin dare bonam plerumque licet. Raro periculum adest, nifi

\* Van Swieten's Comment. on Aph. 1364.

nisi magna debilitate existente. In infantibus, sicut symptomata sunt violentiora propter irritabilitatem, ita majus habent periculi quam in adultis, in quibus raro mortem afferunt. Interdum tamen omnibus remediis resistunt, ita ut cauta sit opus prognosi.

Ex tribus vermium speciebus, *taenia*, vitae tenacissima omnium, difficillime interficitur, et saepe, expulsiis multis nodis, superstes manet.

*Lumbricorum* symptomata graviora quam taeniarum: quare et plus periculi in illis, sed facilius extinguuntur.

*Ascarides* magis incommodum creant quam periculum; nec tamen facile semper exterminantur.

## METHODUS MEDENDI.

INDICATIONES curatoriae ad duo capita referri possunt.

1<sup>mo</sup>, Vermes interficere vel expellere.

2<sup>do</sup>,

2do, Illum systematis statum corrigere qui ad illos praedisponit.

Duo remediorum genera primam harum exsequuntur; nimirum, quae aut directe in ipsos agunt vermes, sine ullo effectu evidente in systema: aut non directe in vermes agunt, sed indirecte juvant, motum intestinorum peristalticum excitando.

Prioris classis medicamina effectus suos vi quadam illis competenti, vermibus nociva, gignunt. At nonnulla ex iis duplicem effectum edunt, ut incertum sit ad quam classem sint referenda.

Hujus classis remedia sunt praeparata e Ferro, Zinco, Cupro, Mercurio; Radix Filicis Maris, Aq. Calcis, Nicotiana, Spigelia Marylandica, et Cortex Geoff. Jamaicensis.

Remedia classis secundae sunt Gummi Gutti, vulgo, Gamboge, Aloes, Scammonium, Jalapium, Rhabarbarum, Pulvis Stanni, Limatura Martis, Dolichos pruriens, Corallium

D

pulverisatum,

pulverifatum, Arena, Oleum, et Sal commune.

ZINCUM et FERRUM, forma vitrioli viridis et albi, utilia inventa fuerunt ad vermes extirpandos. At nunc raro in eum finem adhibentur.

CUPRUM ad vermes necandos olim dari solebat, quo tamen proposito nunc raro exhibetur. Quamvis sine dubio nocivas habeat vires, has tamen, qua ratione vulgo praescribitur, vix exferit. Hujus metalli duo sunt praeparata, quorum alterum, acidum vitriolicum continens, nomine gaudet, Vitrioli Coerulei: in altero, sub nomine Cupri Ammoniaci, sali ammoniaci adunatur: et sic mitius, ut videtur, et ventriculo minus grave redditur.

MERCURIUS. Hydrargyri varia praeparata praescripta fuerunt ad tollendos vermes. Hac regione calomelas saepissime datur aut per se, aut una cum purgantibus remediis. Effectibus ejus a mucositate intestinorum resisti, creditum est. Mercurius corrosivus sublimatus factus  
est

est e hydrargyro et acido muriatico oxygenato, quo in statum calcis perfectæ reducitur. In his terris raro adhibetur contra vermes. At sæpius eo utuntur, in quibusdam regionibus Americæ. Dominus WEEMS amicus meus ingeniosus, dixit mihi, sibi, per tres annos sæpius facultatem fuisse, hujus remedii tentamen cernere in morbis e vermibus ortis, qui in Marylandia frequentes sunt, semperque optimo eventu. Meminit præsertim historiam mulieris, quadraginta annos natae, quae diu affectionibus ventriculi spasmodicis laborarat, contra quas frustra varia data fuerint antispasmodica. Tandem opinio orta est morbum a vermibus gigni; ideoque Mercurium corrosivum accepit, a quo multi vermes extinguebantur, mulierique salus rediit. Tertium hydrargyri præparatum quod utile creditum fuit, fit coquendo hydrargyrum crudum in aqua per longum tempus. At sic aqua minime mercurio gravida redditur; nam metallum postea ponderosius est quam antea: quod clare indicat,

recipi

recipi aëra ab aqua, a quo hydrargyrus quad-  
antenus calcinetur.

**RADIX FILICIS MARIS** antiquissimum re-  
medium est. Mentio ejus fit a **GALENO**: at  
postea obsolevit, donec **Madame NOUFFIER**  
magnam famam sibi acquisivit laudato suo an-  
thelmintico, quod eandem radicem esse cogni-  
tum fuit. **Doctor SYMMONS\*** ejus exhibitio-  
nem primus in Britanniam induxit. **Doctor**  
**DUNCAN†** in uno exemplo, sed in quo gam-  
bogia juncta fuit, ut et **Doctor WALLIS** illam  
cum felici eventu adhibuerunt. At nomen  
quod olim habuit, specifici contra taeniam, ex-  
perientia non firmavit.

**AQUA CALCIS.** Haec forma enematis cum  
fructu contra *Ascarides* data fuit.

**NICOTIANA** procul dubio efficax contra ver-  
mes remedium est. Catharticum forte est ;  
mihi autem vermes occidere videtur vi nociva,  
non vi sola cathartica : quare hic in prima  
remediorum

\* Vide Symmons on the Taenia.

† Duncan's Medical Cases, p. 306.



remediorum classe ordinavi. Data per os, effectus saepe excitat tam vehementes, ut forma enematis tantum contra ascarides praescribatur in magnis intestinis habitantes.

RADIX SPIGELIAE MARILANDICAE et FOLIA. Haec herba nascitur in Carolina meridionali. Radix ejus multum laudata fuit tanquam remedium anthelminticum a medicis Americanis; cujus utilitatem Doctor Home quoque expertus est\*. Secundum experimenta quaedam Doctoris RUSH Philadelphensis, dotes narcoticas possidere videtur. Radix adhibetur vel forma pulveris vel decocti. Foliorum quoque decocta exhibentur tanquam anthelmintica. Ejus vis haud magna esse videtur.

CORTEX GEOFFRAEAE JAMAICENSIS INERMIS, Anglice *cabbage tree bark*, nascitur in India occidentali. Secundum tentamina quaedam facta, utile in vermes remedium videtur; decoctionis forma vel syrupi exhibetur; alii unam laudant, alii alteram. Necessè est ut cau-

te

\* Clinical Experiments, p. 420.

te detur, nam nonnullis in exemplis et vomitum violentum et hypercatharsin inducere notum est.

Remedia secundae classis sunt CATHARTICA. Horum GUMMI GUTTI maxima vi pollet. Creditumque est vim praeterea in vermes nocivam exercere. Propter summam activitatem, et vehementiam, quae illius usum sequuntur, tormina, raro adhibetur. Videtur tamen parvis et minutis intervallis iteratis dosibus, dari posse sine illis effectibus nocivis, qui majores doses comitantur.

ALOES. Hujus pulvis bene accommodatus est ad quaedam vermium exempla, ubi cathartico opus est, porro qua amarum, nonnihil efficit ad ventriculum roborandum. Magis idoneum videtur ad ascarides quam taeniam vel teretem expellendos; quia vires ejus catharticae in magnis incipiunt intestinis.

SCAMMONIUM bonum est catharticum: at quum nulla re caetera superare videatur, raro eo utimur in morbis a vermibus oriundis.

JALAPIUM

**JALAPIUM** catharticum activum est et crebre usurpatum. Cum tartari chrystallis junctum satis efficax est: operatur minoribus tum dosibus et sine torminibus. Pro remedio vermifugo datum plerumque cum calomelane unitur, qua forma ad tutissima et efficacissima pertinet draastica.

**RHABARBARUM** est catharticum utilissimum, in morbis qui a vermibus profluunt. Maxime in iis exemplis indicari videtur, quae diarrhoeam habent secum conjunctam, quum, dotes ejus catharticae, astringenti quodam evidenter stipentur.

**PULVIS STANNI** multum contra vermes exhibetur; licet modus ejus operandi minime pro certo cognitus sit. Alii activitatem ejus ad portionem arsenici referunt, quo raro caret stannum: alii partes ejus angulares vermium esse destructrices censent: alii rursus sibi suaserunt actionem ejus eo constare, ut intestina stimulet.

**DOLICHOS PRURIENS**; Anglice *coubage*,  
herba

herba est Indiae Occidentalis, cujus pili vel spiculae ex legumine abrafae, et cum fyrupo commistae, pro anthelminticis laudatae sunt. Vires ejus ad particulas scabras referendae: decoctum enim et tinctura non aequae utilia. Eodem principio Pulverem Corallii et Arenam quidam utiles putaverunt.

SAL COMMUNIS in morbis a vermibus adhibitus est. Ipse cochleare parvum pro dosi in vino rubro Lusitano cum fructu datum vidi. Ingratum remedium; de quo nescio an ulla alia ratione agat, quam intestina stimulando. Magna copia datus nocuisse dicitur.

OLEUM datum est, et valde laudatum a nonnullis medicis. Hoc agere creditur spiramina animalis obturando. Quod vero a Baglivi negatur, asserente vermes per multos dies in oleo vivere. Hoc Baglivi assertum dubiamente lego, saltem quoad lumbricum terrestrem, qui per dies quosdam in aqua vivit, at in oleo, quatuor vel quinque horis perit. At credo equidem oleum intestinis tanquam catharticum

ticum tantum agere : licet et alia ratione operari videatur, in ipsos vermes.

Atque haec sunt quae contra vermes praecipue dantur remedia. In quibusdam exemplis emetica juvare possunt, aut vermes necando, aut ventriculum ita praeparando, ut eo facilius caetera operentur.

In medicaminibus supra recensitis adhibendis quaedam annotanda sunt. Duo status sunt, in quibus vermes adsunt ; quorum alter cum febre, alter sine ea est. In altero, remedia quaedam juvare possunt, quae in altero maxime laederent. Cathartica draastica nonnunquam cum fructu exhibentur ; alias vero, pro illa, quae adest tubi intestinalis irritabilitate, talia cathartica quae solent mitiora haberi, hypercatharsin induxerunt, a qua aegri visi sunt mori. Quare cura opus est in remediis eligendis, et ad variorum aegrotorum varios habitus accomodandis.

Quando prioris classis remedia exhibere oportet, apud quosdam medicos mos est, ca-

tharticum praeparandi gratia administrare : nec raro necesse est ut detur catharticum, postquam effectus suos ediderint.

Secundam indicationem curatoriam exsequimur amaris, astringentibus, et tonicis.

Status debilis et infirmus, in quo relinquuntur aegri postquam vermes expulsi fuerunt, haec remedia flagitat. Multa quidem amara laudata fuere tanquam anthelmintica; experimenta vero, ut et analogia fellis, quam ad eum finem minus efficacia sint, ostendunt. Quare ob tonicas vires hic laudantur.

Multa e regnis cum minerali tum vegetabili huic proposito valde idonea sunt. At nulla res melior forsan quam Cortex Peruvianus, utilissimum tonicum, quippe quod vires amari et astringentis conjunctas habeat.

Una cum cortice, utile quoque erit, cibum sumpsisse satis nutrientem, cum idoneo exercitio : quid quod, si necesse fuerint, situs coelumque mutanda.

... quodammodo ...  
... et ...  
... quodammodo ...

Secundum ...  
... quodammodo ...

... quodammodo ...  
... et ...

... quodammodo ...  
... et ...

... quodammodo ...  
... et ...

... quodammodo ...  
... et ...

... quodammodo ...  
... et ...

